



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Co[n]uerso mortuo, circa cuius corpus frater Vvernerus candelas stare vidit, cap. 9.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

tens sanctitas morientium viuentibus manifestetur: alia, vt eorum virtutes, quibus hoc meruerunt, imitentur: tertia est, vt iustorum innocentia, si malè fuerint (vt saepe fit) infamati, demonstretur. Verbi causa.

## CAPVT IX.

**I**N eodem cœnobio quodam fratre fautore, nomine Wenero, Conuersum aliquem quidam ex fratribus calumniati sunt sine causa, ita vt ejiceretur ab illis. Contigit post hæc, vt frater idem moreretur, & iam dictus Wenerus interesset commendationi eius. Moris autem tunc erat, vt aliquo super matrâposito, fratres sicut sine processione occurrerunt, ita sine ordine circa morientem starent, vbi cuique prior occurfus aut deuotio locû dedit, laicis fratribus hinc inde circa monachos stantibus. Corpore igitur mortui loto & allato, vidit idem Wenerus multas candelas in circuitu feretri statutas, & omnes ardentes: in parte autem, qua ipse stabat, omnes candelæ pariter extinctæ sunt. Vnde miratus simul & territus, cum corpus in Ecclesiam delatum fuisset, ipse dominum Sifridum traxit in partem, & cõfessionem fecit, extinctionem candelarum suis peccatis imputans, & innocentia fratris manifestandæ. Reuersus in ecclesiam, easdem candelas inuenit, & omnes ex omni parte ardentes vidit.

## CAPVT X.

**A**Nno præterito defunctus est ibidem dominus Hertwicus Prior, vt quidem grandæuus, & circa disciplinam feruentissimus: qui cum serò putaretur esse moriturus, multis, qui conuenerant, clara voce dicebat: Non modò moriar, sed crastina die hora nona ero ante summum iudicem, de omnibus operibus meis ibidem redditurus rationem: eadè siquidem hora expirauit. In cuius transitu quidam confessi sunt se angelos audiuisse. Simile habes de Vlrico monacho Vilariensi in distinctione 9. c. 31. APOLLON. Quid est quòd ille prædixit se iturum esse ad nuptias, iste ad iudicium? CÆSARIVS: Ille, vt pote in adolescentia conuersus, piè præsumebat de custodia